

**Dissertatio medica inauguralis, de arthritide ... / eruditorum examini
subjicit Gulielmus Bell.**

Contributors

Bell, William, 1798-approximately 1850.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mq5jpwzb>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



(6.)

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

ARTHRITIDE

(6.)

Nº 6

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ARTHRITIDE.

ALBERT H. ELLIOTT

DR. GEORGE B. BARNES, M.D.

DR. CYRUS DOUGLASS

DR. J. W. BARNES, M.D.

DR. J. W. BARNES, M.D.

DR. J. W. BARNES, M.D.

ALBERT H. ELLIOTT

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
A R T H R I T I D E :
QUAM
ANNUENTE SUMMO^m NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
ID. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BELL,

ANGLUS ;

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

Divine enim Plato *escam malorum* voluptatem appellat, quod
ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.

Cic. de Senect.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

DISSECTATIO MEDICA

ANATOMICA

DE

ARTHRITIDE

ACUTE

ANALYTIQUE

DE

D. GEORGE BARRIE, M.D.

ACADEMICUS

EDINBURGH

ANALYTIQUE

DE

ARTHRITIDE

ACUTE

ANALYTIQUE

DE

EDINBURGH

1841

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

PATRI CARISSIMO,
HOCCE OPUSCULUM
EA, QUA DECET, PIETATE
CONSECRAT
FILIUS.

——— “ Tibi, care Pater, postquam non aequa merenti,
“ Posse referre datur, nec dona rependere factis,
“ Sit memorasse satis, repetataque munera grato
“ Percensere animo, fidaeque reponere menti.

MILTON, *Sylv.* II.

PATRI CARISSIMO

BOOK OF TESTAMENTS

AND THE GREAT LIBRARY

CONSERVAT

ELIUS

THE LIBRARY OF THE
THE LIBRARY OF THE
THE LIBRARY OF THE
THE LIBRARY OF THE
THE LIBRARY OF THE

JOSEPHO C. CARPUE, S. R. S.

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

DE ANATOMIA ET CHIRURGIA PRÆLECTORI,

GULIELMUS BELL,

SALUTEM.

Tibi, Amice et Præceptor dilecte, quem non minus mens perspicax
et erudita, quam mores suaves exornant, hasce paginas editurus,
occasionem lubentissime amplecto, grati animi hæc pignora dandi.

Accipias hoc testimonium, parvum sed sincerum, animi benefici-
orum haud immemoris.—VALE.

To J. Woodforde Esq
with the compliments
of the Author.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ARTHRITIDE.

AUCTORE GULIELMO BELL.

DUM mihi in animo erat legibus hujus Almae Academiae salutaribus submittere, a quibus decretum est unumquemque summos honores assequentem aliquid in medium proferre, sese offerebat insignis morbus Arthritis, de quo quidem multa scripta fuerunt, pauca tamen utilia.

Ne vero ex terminis egred̄rer intra quos me tenere melius visum est, ad unicam varietatem hujus morbi centicipitis his in paginis spectabo; de Arthritide acuta sequentia sunt.

Inter morbos prope innumeros qui homines excultiores solos fatigant, locum priorem tenet Arthritis. Credendum enim sit eos afflixisse hoc malum majori vel minori vi, a temporibus usque illis, ferorum venatione praetermissa, cura gregum neglecta, officiis ruris spernatis, victuque simpliciiori sub inopia usurpato ab avis eorum omisso; in magnas catervas congregati, urbes locabant, aedes magnificas exstruebant, et voluptatibus omnigenis, oculis quasi clausis, sese tradebant; tunc animis desidia emollitis, corporibusque luxu crapulae fractis, sub ditione terrarum dominos, Persas, Graecos, et Romanos, accepit Arthritis. Gradu increscente progressa, jam dicere licet, numerum eorum hoc malo laborantem multo quam in ullo superiore aevo majorem esse.

Medici, et antiqui et celeberrimi de Arthritide scripserunt; ex eorum libris attamen eos rite distinxisse inter hunc morbum aliosque articulos corporis adorientes, non dici potest. Tempori posteriori fuit haec distinctio, quam BOTALLIO aliisque auctoribus debemus. Hi quidem primo

diagnosin statuerunt, qua ignota, Medicus Empirico vix antecellit. Inter scriptores recentiores est praeclarus SYDENHAMUS, et CULLENUS. Ille de hoc morbo tam eximie disseruit ut hodierni vix aliter argumentum illustraverunt quam verba ejus mutando. Hic vero, hujus Academiae decus sempiternum, scientiaeque nostrae cultor assiduus, in Nosologia sua definitionem Arthritidis perspicuam tradidit, cui, me saltem judice, nulla praestat alia. Pauca revera in meliora mutari potuissent, nam morbi tam varias facies induentis definitio perfecta vix exstrui potest.

“ Podagra, morbus hereditarius oriens sine
“ causa externa evidente; sed praeunte ple-
“ rumque ventriculi affectione insolita, pyrexia,
“ dolor ad articulum, et plerumque pedis pol-
“ licis, certe pedum et manuum juncturis, po-
“ tissimum infestus: per intervalla revertens,
“ et saepe cum ventriculi vel aliarum interna-
“ rum partium affectionibus alternans.” Ge-
nus Podagrae in species quatuor dividit; regu-
larem, atonicam, retrogradam, aberrantem, quae
ita definiuntur.

1. P. (regularis) cum inflammatione artuum satis vehementi, per aliquot dies perstante, et paulatim cum tumore, pruritu, et desquamatione partis, recedente.

2. P. (atonica) cum ventriculi vel alius partis internae atonia, et vel sine expectata aut solita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum levibus tantum et fugacibus, et cum dyspepsia vel aliis atoniae symptomatis, subito saepe alternantibus.

3. P. (retrograda) cum inflammatione artuum subito recedente, et ventriculi vel alius partis internae atonia mox insecuta.

4. P. (aberrans) cum partis internae inflammatione, vel non praegressa, vel praegressa, et subito recedente, inflammatione artuum.

Haec mihi videntur in culpa esse. 1^{mo}, Morbus nequaquam semper hereditarius est, nam faciem saepe agnoscit alteram. 2^{do}, Morbi varietates in regularem et irregularem nimis faciliter redactae sunt. 3^{tio}, Atoniam ventri-

culi vel partis alicujus internae, Arthritidem ab externis retrogressam sequi, dicitur; nihilominus in pluribus exemplis signa sunt inflammationis acutae. 4^{to}, Num, aliquam aliam phlegmasiam in corpore Arthritidi obnoxio existentem semper podigram aberrantem dici queat, dubitandum est; parsque altera forsan sub podagra retrograda melius inclusa fuerit.

Arthritidem corporis universi morbum esse recte dicitur, quia magis minusve munera corporis cuncta vel saltem plurima perturbat. Hic morbus revera de vasorum actione propria pendet, signa quaedam gignente quibus simul conjunctis, malum oritur Arthritis nominatum. Paroxysmus interdum impetum ejus improviso facere videtur, nulla scilicet praegrediente corporis perturbatione. Modum tamen contrarium fere semper agnoscit, nam accessus ejus a sensibus quibusdam morborum et ingratiss in variis corporis partibus, praesertim in organis concoctioni inservientibus, imminere cognoscatur. Haec signa "Praemonitoria" vulgo appellantur.

Homo corporis pleni, tamen minus firmi, temperamenti scilicet in CULLENI sententia, "Cholerico-sanguinei" florente aetate qui luxui nimis incaute se dedit, vel scientiam pertinaciter coluit, vitam sedentariam degens, vel denique a parentibus Arthriticis natus, circa annum ejus tricesimum quintum vel quadragesimum, organorum concoctioni inservientium perturbationibus insolitis et frequentibus, indulgentia vel minima praegressa, affligi incipit. Flatibus, cardialgia, nauseaque, miser continuo vexatur: appetitus cibimodo valde augetur, nec facile satiatus, modo prorsus nullus, cibi autem soliti ad nauseam movent. Jecur ips^{um} tumet nec muneribus suis bene fungitur; Icterus enim et bilis vomitus paroxysmo saepe praegrediuntur. Ventriculo, hepateque, ita se habentibus, circa praecordia gravitatis sensus fere semper adest: alvi modo solutae modo astrictae. Lingua albescit, osque humore glutinoso illitum, gustus percipitur ingratus.

Dolores pedum articulos capiunt, si modo

leniter se exercuerit aegrotans; corpus ejus universum solvitur et languescit, cutis halitus quo gaudent artus inferiores dum corpus valet, vel minuitur vel omnino compescitur, hinc cutis aret; pruritus est et formicationis sensus. Dolor quidem et stricturae in articulo sensus haud raro feruntur. Cruris venae tumidae fiunt, a quo gravitatis cujusdam in membro sensus est. Tota corporis superficies humore solito caret; urina, (cujus dotes sub hoc malo bene investigatae sunt) minuitur et altius rubescit, frigefacta vero turbida fit. Quum somno fere opprimitur aeger, a spasms saepe agitur; somniis horrendis, incubuque subito expergiscitur, et mane nequaquam reffectus e lecto surgit. Interdium irritabilis, haud facile aliquo delectatu, languore et torpore obrutus, capitis doloribus et vertigine vexatus. Functionibus hoc modo turbatis, corporis universi frangitur sanitas, pulsus tremulus, rigores et ardores cutis alterni, febriculam advenientem denotant. Haec conditio manet per spatium temporis magis minusve productum prout postulant res, acces-

sionum numerus, aegri aetas, vita quam degit, coelique temperies, donec tandem, diaeta aliquomodo mutata, vel frigore repente admoto, vel etiam nullâ existente manifesta causa, paroxysmus instans in miserum summa violentia ruit. Veris sive autumnii tempore hic plerumque accedit, circa horam noctis secundam vel tertiam, e somno turbato excitatur aeger sensu doloris peculiari, fere semper pedis pollicis articulum primum, vel alium minorem usurpante. Dolor in initio aquae egelidae in partem effusae comparatur, cito augetur, et mox valdè intensus et variabilis fit, ita ut verbis usitatis vix potest depingi. SYDENHAMUS ipse eloquens huic morbo obnoxius, dolorem ejus hisce verbis describit: “Nunc,” ait, “tensionem violentam vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram et coarctionem exprimens.” Cutis interim partis inflammatae, colorem induit rubicundum et nitentem; calor ejus attamen non quidem tam augetur, quam ex aegri verbis credere liceret. Sub

paroxysmo primo febris vix sese manifestat, si res aliter se habet, signa pyrexiae evidentiora fiunt, pulsu duro, pleno, et celere, cutis calore valde aucto, adorientibus; sanguis missus et jam concretus, superficiem albam coriaceam ostendit, nec tamen, uti dicitur, ita ut in aliis phlegmasiis apparet. Lingua humore sordido oblinitur, sitis quoque adest, cibi fastidium, cardialgia, flatus, haud raro vomitus et venter fere semper astrictus. Urina potius parti tertiae vix adaequat, dotes ejus quoque multum ab illis discrepant, quas, paroxysmo nondum adventato, habuit, et adeo acrida est ut sub mictione ardorem ciet. Jamjam emissa rubicunda et pellucida, frigefacta vero sedimentum copiosum lateritium vel rosaceum demittit; pondus ejus specificum 1025 vel 1040 aequat. Genus nervosum convellitur. Sensus externi acutiores fiunt, lucem et sonitum, dolorem et molestiam nunc afferentes, studiose fugit aeger. Mens olim languida et pigra, nunc querula fit et sollicita. Spasmi et tremores artuum vel etiam corporis totius musculos occupantes superveniunt; membra jactitat cru-

ciatus, positum commodiorem in lecto frustra petens. Signa sensim ingravescent, donec ad summum ejus attinet paroxysmus, quod plerumque fit apud horam sextam vel octavam, cum sudor prorumpit, febris decrescit et dolor minuitur. Æger jam longo angore fessus, in somni gremium se tradit, et horis paucis elapsis, quodammodo reffectus, et febre et dolore liberior expergescit. Pars inflammata aliquantum tumefacta esse nunc videtur; colore rubicundo induto, et venis proximis simul turgidis. Die levatur dolor, etiamque febris alia signa; prior autem vespere redit tametsi haud tam crucians quam nocte superiore; et sic augescens et remittens per spatium vel trium vel quatuordecim dierum perstat, si acutus sit paroxysmus et progressum regularem habeat. Dum levior fit paroxysmus, a sero in telam cellulosa effuso partis laborantis increscit tumor. Prorumpens hoc fluidum per cutem, odorem fortem et proprium edit. Tumore decedente, desquamatur epidermis cum pruritu molesto. Recuperat indies aeger appetitum, animi solitam aequanimitatem, mem-

braque movendi facultatem, et paroxysmo ad finem perducto, valetudine multo quam olim meliore fruitur.

Si remediis idoneis non obstetur praedispositio, paroxysmus per intervalla usque ad vitae finem redibit, et morbus vires acquirit eundo, donec tandem tam iniqua valetudine conficitur miser ut diem ejus supremum lubenter obit. Primum, anno quovis tertio vel quarto, illico quotannis affligunt paroxysmi, mox postea bis vel saepius, et demum vix unquam deest morbus, nisi per mensem unam vel alteram in tempore aestivo. Uti crebriores paroxysmi, leviores fiunt, "animadvertendum est" ut ait SYDENHAMUS "quod ubi quis ad multos annos, podagra laboraverat, dolor singulis paroxysmis gradatim imminuitur, tandemque aegritudine potius conficitur quam dolore." Paroxysmi spatium temporis valde incertum est; sub forma ejus communi intra dies paucos supra dictos finitur, in exemplis quibusdam, ab accessibus saepe repetitis per hebdomada plura producit. Dolor enim pedi insidens, genu vel carpum de novo

corripit, parsque prius affecta ad statum pene sanum vel tantum solutum redit. Paroxysmi in longum trahuntur, prout signa leviora sunt; si gravia, eos breviores esse notandum est. In exemplis pluribus, inflammatio pedes solos aggreditur, sed praedispositione vim majorem adepta, corporeque igitur soluto, vel tophis articulis insidentibus, progressui inflammationis libero obstantibus, aliae corporis partes internae invaduntur, vel inflammatio ad organa interiora cito transfertur, hinc nascitur malum vocatum "Arthritis Retrocedens," sive "Metastasis." Signa quae oriuntur, nunc vires corporis delapsas demonstrant, nunc genus nervosum et organa circuitu sanguinis inservientia excitata esse indicant.

De ratione symptomatum, sententiae pathologorum multum discrepant. Quidam, ex materia morbosa, aliquo acido, alcalino, bile vel semine masculo pravato, morbum oriri asseruere, alteri, actioni generis nervosi ignotae eam tribuerunt, alii vero acidum uricum in urina et tophis detecti, in hoc esse causam

habuere. Hae omnes sententiae idem vitium agnoscunt, scilicet pro causa effectum accipiunt. His sententiis praetermissis, ad quaedam de natura ipsa morbi spectabo. Arthritidem, me judicante, nisum esse naturae videtur quo corporis plethora sublevatur. Haec plethora cibis lautioribus et nimis generosis fota, causa excitante admota vis circuitus intra vasa minima et cor impar fit, morbi signa se prodeunt, et paroxysmus regularis accedit, quo peracto, firmiore valetudine fruitur aeger. Quum paroxysmi signa in animo agitantur, sententia conatum esse salutarem docens, amplius stabilitur. Signis praecursoriis sanguinis reversio a cute universa ad partes internas indicatur; sic oriuntur rigores, pedum frigus, cutis ariditas, circa praecordia tumor, capitis dolor, et vertigo. Hunc statum temporis spatium saepe accipit, quo ab omni malo fere immunis est aeger; e cordis actione vasorum minimorum nisum superante pendere videtur. Brevi tamen major fit quam ad sanitatem veram efficiendam necessaria sit; febris signa nunc sese manifestant, cum inflammatione cujusvis articuli, plerum-

que minoris, quia vis insita aut "tonicitas naturalis" ibi magis perditur. Ad accessus futuros inducendos, quamvis corporis vires admodum frangantur et plethora minuatur, tamen minor suppeditat. Hinc liquet actionem vasorum auctam ad paroxysmum gignendum, et ad corpus in salutem reducendum esse necessariam. Haec quidem nihil nisi causa ultima appellari potest, tamen magis subtiliter disputare nolo, nec ultro progredi nobis licet.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.—E quadam corporis conditione pendet causa praedisponens, qua absente, morbum ciere causa excitans nequit. Ex fonte duplici dimanare videtur, nempe, vel ex parente Arthritico, vel ex vitâ luxuriosâ et studiis impensâ. Hereditaria illa, acquisita haec; prior secundum calculum Doctoris SCUDAMORE sicut 43 ad 51, rationem tenet. Arthritidem hereditariam in stirpibus quibusdam per multos majores saepe prosequi possumus, praecipue vero in maribus. His cutis crassa et aspera, pectus capax, venae amplae, et solidorum solutio universa sunt. Cibi opipari con-

diti, potus fermentati, vina meraca, vita sedentaria, Venus immodica et praematurè culta, animi anxietas, studia intensa, vigiliae nocturnae, vel singulatim vel conjunctim, Arthritidem gignunt. Usus autem quorundorum vinorum levium huic effectui praestantissime operatur, ita ut homines divitiores qui sese his vinis indulgere malunt, fere semper hoc morbo laborant. Contra vero, pauperes qui spiritum vel cerevisiam bibunt, non Arthritide sed Dyspepsia, Hepate indurato vel Hydrope saepius corripuntur.

Coelum quoque variabile proclivitatem inducendum est, nam in regionibus torridis aequae ac in glacialibus raro occurrit Arthritis, quia in his, victu simpliciore, incolae usurpant. Cum his verbis Lapponem incultum alloquitur LINNÆUS: “ O felix, qui in ultimo angulo
“ mundi sic bene lates contentus et innocens.
“ Tu ducis innocentissimos tuos annos ultra
“ centenarium numerum cum facili senectute
“ et summa sanitate. Tuus potus aqua crystallinae pelluciditatis, quae nec cerebrum in-

“ sania adfecit, nec strumas in alpibus tuis pro-
 “ ducit. Cibus tuus est vel verno tempore
 “ piscis recens, vel aestivo serum lactis, vel au-
 “ tumnali Tetrao, vel hyemali caro recens ran-
 “ giferina absque sale et pane, singula vicē uni-
 “ co constans ferculo, ejusdem securus e lecto
 “ surgis, dumque eum petis, nec nosti venena
 “ nostra, quae latent sub dulci melle. Te nec
 “ obruit scorbutus, nec podagra, fibroso gau-
 “ des corpore et alacri, animoque libero.”

CAUSÆ EXCITANTES.—Hae vel externe vel
 internè agunt. Inter priores recensentur quae-
 vis injuria in articulos lata, calceorum usus
 strictorum, exercitatio nimis diuturna, et fri-
 gus pedibus admotum. Causae quae in inti-
 mum spectant, certius contra salutem valent.
 A nimia indulgentia, sive vino, sive cibo lau-
 tiore et concoctu difficili, saepissime inducitur
 paroxysmus. Pathemata mentis intra causas
 excitantes locum tenent, quamvis ne quidem
 superiorem. Paroxysmus aliquando accedit
 iis Arthritidi obnoxiiis, quodam alio morbo de-
 cesso. Cutis morbis subito repulsis, vel alia-

rum partium inflammatione repente cessata, paroxysmus sequi solet. Ad paroxysmum ciendum praedispositio sola aucta crebro satis est. Ver et autumnus in quibus tempestas plurimum variat, Arthritico inimici et sic scripsit HIPPOCRATES: "Podagrici morbi vere et autumnus moventur."

DIAGNOSIS.—In morbis omnigenis res est maximi momenti, in Arthritide acuta plerumque facilis. In quibusdam revera exemplis, Rheumatismus et Arthritis sub forma eorum Chronica existentes, ita similes sunt, ut inter eos discrimen facere non facile possumus. Rheumatismus acutus in uno quidem Arthritidi refert, nam vix unquam uti in aliis phlegmasiis, pus formatur. Differt autem in quibusdam: Rheumatismus juniores et robustos aggreditur, et ab externa causa plerumque evidente originem ducit; frigore et humore corpori calefacto admotis, organis concoctioni inservientibus non turbatis. Arthritis contra, luxuriosis et ignavis proprius est morbus, in aetate proveciore affligat, e causis internis pen-

det, et demum ventriculus male se habens *prægre-*
ditur. Facile distinguendum est inter for-
mas Arthritidis et Rheumatismi acutas; do-
lor enim hujus non tam fixus, sed in cursum
musculorum tendit, febris illius autem levior
et interdum aliquantum remittit. Haec con-
junctim habitæ, simul atque historia modi
quo vita degitur, corporis habitus, an ad
Arthritidem proclivis sit necne, aegri fami-
lia, ad diagnosin statuendam opitulantur.

PROGNOSIS—duplice tempore spectari debet.
1^{mo}, Dum cursum ejus sequitur paroxysmus;
2^{do}, Cum modo desinivit, mox tamen rediturus.
Jam adstante paroxysmo, si signa omnia in
meliora mutantur; si viscerum munera non
admodum turbentur; si febris decrescat, si
ventris neque laevitas neque tarditas, bonum.
Si vero inflammatio ex loco ejus priori dece-
dat, organis internis simul insigniter turbatis,
malum. In exemplis quibusdam in longum
trahitur morbus, in aliis varietatem retroce-
dentem accipit; haec instans periculum deno-
tat, majus vel minus, secundum viscus et tem-

pus etiam quo duxit originem, in summo enim paroxysmo oriri, pessimum.

Paroxysmis majore vel minore frequentia tentatur aeger, secundum vivendi modum et diuturnitatem morbi. Quos florente aetate Arthritis corripuit, et per multos annos affligit, si nec temperantia, nec ullo alio modo morbus obstetur, in senectutem vitam trahere raro videmus; morbus vero saepe rediens corpus sensim infirmat, et organorum munera sive sympathia, sive morbi metastasi obruuntur. In aliis motus articulorum impediuntur tophis in iis depositis. Quum paroxysmi irregulares fiunt Arthritis est chronica, et aeger Dyspepsia continuo vexatur, doloribus vagantibus et spasmis; tandem summa aegritudine adeo conficitur ut "pretia vivendi mortis rationibus" vincerentur."

DE MODO TRACTANDI.—Ubi signa praecursoria tractandi occasio datur, nonnunquam corporis actionibus turbatis obstando, morbi accessum avertere possumus.

Remedia huic maximè convenientia sunt quae plethoram sublevant, excretaque sana reducunt. In quibusdam itaque, ubi adest vasorum plenitudo e brachio sanguinis missio praesidio erit, in aliis vero, quum sanguine turgescit quoddam organum, hirudines vel cucurbitulas cruentas parti laboranti imponere oportet. Si ventriculus acore vel cibo oneratur, emeticum ex Ipecacuanha utile erit; postea catharticum exhibendum est, et cujusvis salis medii dosis quotidie administranda, ut leviter solutae sint alvi. His remediis usurpatis, cibo simul concoctu facili, vini abstinentia, medicamentis tonicis, amaris et antacidis, exercitatione leni, adjuvantibus, Arthritidis accessio interdum evitari potest.

Modus Arthritidem tractandi solvi queat in illum paroxysmo progredienti convenientem, atque in illum accessui redituro obstantem. Dum paroxysmus ejus, cursum tendit, medicum in partem affectam et conditionem corporis universi curam versare decet. Partem inflammata aliquo levi tegmine vestiri necesse est, ut simul ab aëre frigido servetur, et

a calore lecti temperies ejus non augeatur. Si premit dolor gravissimus, dum organa interna bene se habent, hirudines parti laboranti admove, dein aquam egelidam in eam infundere ad sanguinis effusionem promovendam, respondet. Si vero dolor non adeo urget, nec sanguinis missionem postulat, lotionem a quibusdam laudatam, alcoholis partem unam, et misturae Camphorae partes tres habentem, gradu caloris 80°, per pannum linteum, articulo applicare convenit. Contra, quum dolor maxime infestat, lotio ex opio, aut quodam alio narcotico praecipue valet.

Modus corpus universum curandi optime conveniens, aegri aetate, habitu, et paroxysmo an graviore an leviori, niti debet. Si habitus plenus ^{est} ~~est~~, et febris urget, venam incidere oportet; tamen in memoriâ tenendum est, Arthriticos sanguinis missionem non tam bene ferre, quam laborantes aliis phlegmasiis.— Ubi ventriculis cibis vel acore gravatur, emeticum ex Ipecacuanha usui esse potest. Medicamenta purgantia caute adhibita in hoc morbo fructuose et frequenter usurpantur,

nam paroxysmi vim quam optime frangunt, et sanitatem saepe reducunt. Quae intestina violenter movent, et corpus universum turbant, semper vitari debent. Catharticum salinum, dosibus divisis, omni quarta hora donec alvi plene solutae fuerint, saepe anteponitur; aliquando pilula ex Colocynthide, Sapone et Submuriate Hydrargyri confecta aliis praestat. Confugiendum est ad cucurbitulas, ubi plenitudo praecordiorum aut capitis urget, Arthritico saepe contingens. Narcotica raro in usum sunt, nisi genus nervosum multum excitatur; tunc quidem Lactucarium, Opium, Hyoscyamus, vel Stramonium hora somni levamen ferunt. Cum cutis ardet aceto aquâ tepidâ diluto lavare subsidium praebet. Diaeta ab ineunte paroxysmo nec quidem plena, sed ex cibo facile concoctu; potus ex sero lactis aut infuso Theae constare oportet. Ubi vero signa acuta desinunt, carnis aliquantum, cibusque magis nutriens adjici potest, nam diaeta nimis tenui ventriculi vires convelluntur, aegerque stomacho laborat, podagra atonica profecto adoritur.

Si vitam luxuriosam vel sedentariam degisset, cessante paroxysmo, aegrotantem eam mutare necessarium erit. Diaeta ejus ex carnibus tenuioribus erit, vel ex lacte, praesertim asino, a medicis tam antiquis quam hodiernis late laudato. Vinum vel parcebibendum est, vel penitus denegandum. Quidam aquas Bathonicas remedio esse habent ad ventriculi vires renovandas. Medicamenta amara et tonica etiam hoc tempore necessaria sunt, uti Gentianae vel Cascarillae Infusum, vel Tinctura Ferri Ammoniata. Aciditate ventriculi abundante, aqua Sodae potum communem aequè gratum ac commodum praebet. Magnesia usta maxime antacida ventrem leniter ducit, et aliis interdum antefertur. Vestimenta mutationibus coeli et temperiei studiose sunt aptanda. In coelo aperto, tempestateque serena, exercitatio prodest lenis et regularis, brachiis plus quam cruribus agitatis. Medicamenta laxantia subinde exhibere decet, ut alvi faciles tenentur, nam aliter esse plurimum nocet. Coelum variabile in Arthriticum tam male agens, ad plagas calidiores migratio saepe commendatur.

Gallia australis, Italia et Sicilia vulgo antepo-
nuntur. Morbum hoc modo curans, aegrum
paroxysmos in futurum non passum iri, si
modo jam in senectutem non plane vergat, nec
vires intemperantia fractae, sperare liceat. Sed
mores vivendi mali tandem ita stabiliuntur, ut
vix disrumpi queant; medici consilium nimis
frequenter aspernitur et miser dolore saevissi-
mo torquetur.

FINIS.

